

AD LECTOREM PHYSIOPHILVM.
indéque ad aliarum lucubrationum nostrarum edi-
tionem sedulo inuitantes. Quorum exhortatio & au-
thoritas, quemnam vel de mediocri schola virum
non reddat? quem non etiam claudum & inuitum
vel in medio foro saltare faciat? Itaque his & pleris-
que aliis quæ prudens reticeo, nos domi foris que exa-
gitantibus, opusculum precipitare sustinuumus: ea
duntaxat in illo paucis & dilucidè percurrentes,
quæ Ephemeridibus nostris lucem qualemcunque,
& vtilitatem cum iucunditate parem, rerum cæli
& nature candidatis allatura sperauimus. Ex quo
factum est, vt summa duntaxat tempestatum capi-
ta, quarum Ephemerides nostræ signa proponunt,
mutato alicubi ordine, hîc attigerimus: vt intelli-
gas alterum alterius opem poscere, & nexum in-
diuiduum vnâ sustinere. Quæ ad fontium, mine-
ralium, & rerum inferiorum generationem perti-
nent, necnon ad aquarum proprietates, hic ne quæ-
dam (quod dicunt) à me expectabis: vt quæ alte-
rius sint instituti, & fusiſsimè apud Aristotelem
ac alios plerosque physiologos omnes passim tradita.
Hæc igitur à me impræsentiarum accipies Φιλόποισ
Φυσικόφιλε: quæ si placere audiuerò, ad paulò φυσικ-
χρότερον καὶ ἀστρολογώτερον (vt ἰατρομαθηματικὰ τα-
ceant) tibi in solem breui mittenda, me non me-
diocriter subinuitabis. Vale fœlix, vel potius me-
cum semper esto.